

DISSERTATIO ACADEMICA,
SISTENS
COGITATIONES QUASDAM
DE.
LINGUARUM USU HISTORICO.

QUAM
CONS. AMPL. FAC. PHIL. ABOENSIS,
PRÆSIDE
*Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

ELOQV. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. LITT. HUM.
HIST. ET ANTIQUIT. MEMBRO,

PRO HONORIBUS PHILOSOPHICIS
PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT
JOHANNES HENRICUS AVELLAN,
STIP. REG. TAVASTENSIS,

IN AUDITORIO MINORI DIE XXII JUNII MDCCXCV,
HORIS P. M. SOLITIS.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

D:no Magistro

CAROLO AVELLAN,

Pastori Ecclesiæ Rimitto,

Parenti Optimo.

*Hasce pagellas, quas in tesseram pietatis erga Te nunquam
intermorituræ, Tibi offerre labentissimus debui, Indulgentissi-
mo, quo soles, & Paterno affectu animoque excipias, etiam at-
que etiam rogo & obsecro; ad cineres usque permanfurus.*

Parentis Optimi

Filius obsequenterissimus

JOH. HENR. AVELLAN.



§. I.

Loquendi facultas quanti ab hominibus aestimanda sit, nemo facile non sentit; quod singulari ejus beneficio homines alie iupra ceteros terrae incolas attolluntur, ac tota vita & conditio eorum sine illa valde fera tristisque futura, jam & jucunda & natura rationis compote dignior, reddatur. Cum autem in diversis admodum linguis, pro diversitate ingenii, conditionis, morum humanorum &c. vehementer variantibus, haec facultas inter mortales exerceatur; quin ex diligentissimum studiis multiplicem uberemque haurire possumus usum, dubitare haud licet. Ut taceamus fructum insignem ex lectio-
ne scriptorum diversis linguis, in primis cultioribus illis ex-
inatorum percipiendum, (quo respectu, linguarum uberior peritia,
clavis instar ac instrumenti habenda est, cuius ope quid in
terris peregrinis, lectu cognituque dignum, in lucem prola-
tum sit, quasi referare, noltrosque in usus convertere valea-
mus, atque sic tanquam in communionem bonorum cum toto
genere humano venire); ad nostram etiam linguam excelen-
dam & perficiendam multum adjumenti, ex cognitis aliarum
linguarum virtutibus, acquirere possumus. In primis ad Gram-
maticam universalem formandam, hinc materiam reperit Phi-
lologus & uberem & commodam; discit, quomodo idee ver-
baque ex rebus primum sensualibus orta, magis deinde magisque
se extenderint, quomodo affinia soleant alia ex aliis propa-
gari, quasque leges, non solum in vocabulorum compositio-
ne & derivatione, sed etiam inflexione & syntaxi maxime fo-

A

leat

*) 2 *

leat mens humana sequi; & sic porro. Philosopho autem ex pluribus linguis attente consideratis & collatis, ad humani ingenii naturam accuratius cognoscendam, uberrimam expetitandam esse opem, facili intelligit negotio, quisquis arctissimum nexus lingvas ingeniaque humana intercedentem non ignorat. Illis porro explorandis comparandisque, causam mox invenit existimandi, primas hominum familias vix ultra prima lingvarum rudimenta processisse; tutò quoque, ingenium humanum una cum lingvis, a tenerima infantia ad puerilem, deinde adultiorem, & tandem ad maturam ætatem, proiectum esse, concludere potest: unde rursus facultas animi humani varias sibi novas dotes eximiias acquirendi, & perfectiorem se felicem reddendi, non obseure elucet. Denique, non parum Historiae studiosi inde opis habent; partim ad populorum cognationes eorumque origines, tenebris plerumque testas, indagandas, partim ad gentium quarum historiæ monumenta pauca aut nulla sunt, ingenia, mores, instituta, gradum culturæ &c. aliquatenus tamen cognoscenda. De qua utilitate ex lingvarum studio accuratiore haurienda, animadversiones quasdam afferre nobis jam proposuimus.

§. II.

Quod ad posteriorem attinet hujus usus partem; indubitum est, quia nexus arctissimus inter lingvam & ingenium, mores, instituta &c. populi intercedit, horum vestigia, non posse non illi quasi inprimi. Cum enim Lingua gentis instrumentum sit animi sensa (quæ ab ingenio sentientis quali emanant) per articulatas voces exprimendi, cumque mores a judicio animi humani de bono & malo, honesto & turpi quoad maximam partem effingantur, atque instituta deinde populorum ab his vehementer pendeant: arctissima horum omnium cognatio cuique vel parum attento evadit conspicua. Cujus rei illustria exempla nobis exhibent non modo linguae cultiores

* * * *

res gentium tam antiquiorum quam recentiorum, sed etiam
inopes, incultæ, & rudes lingvæ barbarorum, feritatem eo-
rum aperte prodentes: quales lingvæ sunt complurium gen-
tium, in primis Americæ cum septentrionalis tum meridiona-
lis (*); ex quarum studio egregium adjumentum ad statum eo-
rum cognoscendum, haberi potest. Ac notum est, quam ampla
cognitione opus habeamus Antiquitatum Hebraicarum,
Græcarum & Romanarum, ad scripta his linguis exarata re-
cte intelligenda atque interpretanda. Contra notum est, quam
multum lucis hæ ipsæ Antiquitatis ex lingvarum vocabulis &
phrasibus diligenter expensis, acquisiuerint. Quarum rerum
exempla in re obvia cumulare, merito supersedemus. Quo-
ties vero gentium nulla existant ingenii monumenta scripto con-
signata, toties earum lingvas diligentius vel hoc consilio ne-
cessere habemus consulere, arque iis multum juvamur, ubi de prisci
illarum moribus atque institutis eruendis agitur.

§. III,

Sed requirit tamen hæc res, ne fallaci sœpe specie deludamur,
non paucas cautiones. Primum enim & ante omnia opus est,
ut lingua ipsa bene & copiose cognoscatur, non leviter, per-
functorie & imperfecte; alias & multa nos latebunt, præci-
puam argumento lucem allatura, & sœpe male ac præposte-
re judicabimus. Sic copia sœpe Synonymorum ad hoc consi-
iliuin præcipue spectat, quæ res maxime animis populi obver-
satæ sint ostendens, & quarum admiratione in primis captus
fuerit, quas in maximo habuerit pretio, in quas summam di-
ligen-

A 2

(*) Vid, quæ Ill. MONBODDO von dem Ursprunge und Fort-
gange der Sprache T. I. C. VI, VII & VIII, notavit de
indole lingvarum quibus utuntur ex. gr. Hurones, Carai-
bæ aliæque feræ gentes,

ligeniam impenderit &c. demonstrans. Sic multa illa nomina *Leonis & Serpentis*, quibus Arabica Lingua abundat, & plures Rangiferorum diversæ ætatis ac indolis, appellationes Lapponibus nostris familiares, luculenter ostendunt, quam formidabilis illis pecoriique suo istæ fuerint feræ, quamque attentam hi in Rangiferos mentem habuerint (*). Deinde ægre sufficit unam aut alteram nosse linguam, easque inter se comparasse; sed opus est, ut plures conferantur, quo videamus quid uni populo proprium, quid pluribus commune, quid alter ab altero fuerit mutuatus. Ex compluribus verbis hæc confici posunt; sed inter ea eminent, & primarium quasi occupant locum, voces & loquendi formulæ ex moribus & institutis vetustissimis natæ & ad ea spectantes. Quales in antiquissimis populorum legibus, & scriptis quibus aliquid de rebus majorum suorum memorie mandarunt, sunt quærendæ. Nec tamen omnino negligi debent nomina artium: in quibus interdum nonnulla occurunt, quæ quarundam inventionem populo alicui vindicant, vel a nullo alio easdem accepisse ostendunt; alia, quæ pluribus gentibus communia, ex eodem sese fonte profluxisse arguunt. Quod de opinionibus institutisque religiosis idem valet (**). Denique

(*) De Arabibus cfr. STEEB *über den Mensch.* p. 1110 sq. De Lapponibus HÖGSTRÖM *Beskr. öfver Lappm.* C. 4, §. 5.

(**) Si vel nulla alia superercent argumenta, quæ docerent Svecos religionem Christianam Ecclesiæ Latinæ beneficio accepisse; vel vocabula nostra *messa*, *predika*, &c. hanc rem proderent: uti voces *Präst*, *Bischof*, &c. a Græcis primo fuisse profectam, indicant. Ad gentem autem Fennicam ejus aliquam famam a Græcis, Russorum nempe ministerio, pervenisse, vel vox *Ramattu*, Scriptura (*Γραμματα*, sc. *legæ*) suspicandi causam præbet? Lappones a Svecis atque Fennis Christianæ religionis cogniti

❧) 5 6 ♦

que ad locorum situm & vicinitates gentium oculos intenderet animosque, hujusmodi comparationes instituturum oportet. Etiam Historia, quantum licet, est consulenda; ut, quænam gens antiquior & maturius culta fuerit, quæ alteram domuerit aut poliverit, quid per commercia, quid per litterarum aut sacrorum communicationem, alia ab alia lucrata sit, & sic porro, facilius innoteat. Adjuvat hoc ad peregrinas voces ab indigenis certius distingvendas, & quasi natales earum persequendos. Sic de Latinis notum est, illos Græcis literas, artes & scientias pene omnes, imo magnam linguae suæ partem, non vero contra, debere. Svecos artes a Germanis sibi traditas (*), ad Fennos propagasse, indidem discimus.

§. IV.

Sed quoniam cum de domiciliis, tum de ætate, commerciis &c. multorum populorum antiquorum parum certas habemus narrationes; hæc disquisitio saepe difficillima fit, & multa eget circumspectione. Sic ex. gr. quid Fenni a Svecis mutuati sint,

A 3

aut

tionem habere, omnia illorum vocabula ecclesiastica ab alterutra gente mutuata, satis demonstrant. Et sic porro. Quis *Testamenta*, quorum vocabulo domestico Sveci carent, a Latinis ad nos venisse, hinc non animadvertat? &c.

(*) Quis Metallurgica vocabula Svecana pleraque, vernaculae peregrina, Germanicæ esse originis aperte videns, hancque gentem cultiori Italiæ Galliæque vicinorem esse recordans, illos nostrarum in illa arte magistros fuisse, non agnoscat? Ut illa opificia quorum nomina Svecica in makare (a Germanico machen) exeuunt, ab illis ad nos esse translata (ex. gr. *Skemakare*, *Hattmakare* &c.), hac ipsa observatione adjuti, dudum viri docti notarunt.

aut h̄i contra ab illis, incertius judicatu putabitur, si hypothesin illorum amplectimur virorum eruditissimorum, qui illos Scandinaviæ totius olim fuisse aborigines existimarent: cuius sententiae argumenta quædam attingit in Praef. *Glossarij* Nq. bil. IHRE, ac plura afferat vocabula Fennica cum Islandicis vel cum Svecicis antiquioribus cognata. Quod in primis de villarum, lacuum, fluminum, montium nominibus, per Sveciam observat, quæ non aliunde quam ex linguis Fennicis & Lapponicis explicari posse opinatur. A qua quidem opinione, in quantum ad Lapponicam pertinet lingvam, neque nos alienos esse fatemur: in qua lingua radicem talium nominum, etiam locis Fenniæ compluribus adhærentium, quærendas esse suspicamur, quorum significatio hodie populares nostras latet. Nec regula quam proponit Nob. IHRE parum placet, scil. vocandas in subsidiū reliquas dialectos Germanicas, & quæ illis ignota sunt vocabula, Fennicæ (Lapponicæ) esse originis videri debere? Cumque inter multas voces Russicas ac Fennicas similiter manifestam intercedere cognationem constet; ac inter gentem utramque (illam certe & hujus quasdam propagines) non modo propter sedum viciniam, sed etiam propter conjunctionem reipublicæ, frequentissimum olim fuisse commercium, in confessu sit (*); haud sane facile est, nisi affinibus dialectis utriusque linguae diligenter consulendis, quænam earum illas voces alteri debeat, tuto definire,

§. V.

Nec altera illa ratio, de cognatione gentium ex lingvis elicienda (§. I fin.), minori eget diligentia & cautione. Primo enim

(*) Chr. Chronicon NESTORIS, vetustissimi scriptoris Russici, apud MÜLLERUM *Samm'l Russ. Gesch.* I. B. p. 3, 6, 10, & ARNDT *Neues St. Petersb. Journal* 1783, I. B. p. 162 sq. 166 & 172. II. B. p. 75 sq.

enim ex levi & parca duarum lingvarum similitudine, haud-
quaquam est propterantius inox inferenda. Talis enim simili-
tudo vel casu potuit contingere, vel inde ex communi ple-
rarumque lingvarum origine, vel causarum alia congruentia
erit fortassis arcessenda. In quo *Bochartus*, *Goropius*, *Rudbeckius*
& alii (ad quos pertinet v. g. qui in America Hebræe lingvæ
vestigia deprehendere sibi vili sunt), aperte peccarunt. Mu-
to minus ficta & coacta similitudo est premenda. Neque ob
nudam sonorum similitudinem, nisi & significationis aperta ac-
cedat congruentia, nec ob accessoriarum quarundam idearum con-
fensum, sed præcipue ubi significationes vocum propriæ & pri-
mariae coincidunt, vocabula ita esse propinqua judicentur, ut
pro indiciis cognationis Gentium haberi queant. Quorum in
numerum neque illa sunt referenda, quæ ex pluribus vocibus
aliis compösita similitudinem cum alterius lingvæ verbis sim-
plicibus habere videntur: nec quæ radicem in lingva ipsa ha-
bent manifestam, a peregrina illa, fono proxima, discrepan-
tem. Maxima præterea diligentia observandum, ut non scri-
ptio modo vocum, sed etjam in primis pronunciatio earum in
censem veniat. Magna autem difficultas hoc loco inde ori-
tur, quod orthographia in lingvis diversis recepta, valde sit
diversa, quæ vel eosdem sonos agnoscere, vel diversos distingue-
re, prohibet. Ut ergo de lingvarum harmonia tuto judicare liceat,
ad tutam scribendi rationem omnes sunt primum exigendæ: quo
demum facto, quæ vere cognatæ sint, patebit, aut quæ omnino
nulla affinitate conjungantur. Consuetu etiam notanda certa-
rum litterarum permutatione non supersedeatur, & quasi formula,
ad quam quarumcunque lingvarum ac dialectorum variatio-
nes exigantur: quod ex diligenti observatione & comparatione
plurium vocabulorum colligi debet. Sic facile agnoscitur,
voce ex. gr. *πες*, *pes*, *fuß*, *foot*; *nafus*, *nase*, *nåsa*; *Auris*,
bra; *wässer*, *water*, *watten*; *zimmer*, *junge*, & *timmer*, *tun-
ga*, ex eodem fonte profluxisse. Sic Kunlinger, Küg. Rd,
nung,

nung, Ronge, König, King, (fortassis etiam Khan?), idem esse vocabulum, quisque videt. Cognatio tamen illa lingvarum Græcæ & Latinæ cum Germanicis, (quæ nequaquam æque est propinqua ac Germanicarum illarum inter se), in quantum ad horum populorum affinitatem evincendam valeat, non est promte nimis definiendum; sed viæ quasi omnes prius exquirendæ, quibus vocabula unius gentis ad alteram transire fortassis potuerint? Quamobrem maxime etiam attendendum est ad indelem ipsam vocabulorum, quibus adhibendis talis comparatio instituitur: ut illa nempe non modo non sint ex artibus & scien*iis* desumpta, sed ne abstractas quidem facile designent ideas, a sensibus remotiores, radio*ibus* populis minus obvias atque familiares &c. Quare recte viri Celeberrimi ineptum eorum consilium reprehenderunt, qui ad diversas inter se lingvas conterendas v. g. versiones iis factas Orationis Dominicæ attulerunt; cum indices potius exhibere debuisserent vocabulorum ad præcipuas partes corporis humani externas, naturæ objecta maxime obvia, actiones hominum quotidiie occurrentes &c, significandas perirent: ad quæ adjungit etiam merito volunt numerandi vocabula præcipua. Existimare hinc licet, quid de editis pasim, & in hunc usum destinatis, tenere debeamus vocabulorum indicibus polyglottis: quorum plurimi ab hominibus profecti sunt, qui nonnili paucas earum lingvarum, quas conferre instituerunt, ipsi intellexerunt, rationem vero orthographiæ eorum nihil cognoverunt. Qualia vitia non modo in vocabulario Fitcheriano Polyglotto, quod Gottingæ, inter monumenta Instituti Historici ibidem florentis servatur, respectu habito ad Lingvam Fennicam observavit Dn. Præfes; sed cuius generis haud pauca, in Vocabulario quoque totius orbis comparativo, quod sub auspiciis Augustiss. Rossiae Imperatricis collectum & editum est (Petrop. 1787 & 1789, 4:o) observavit qui notitiam ejus exhibit annimus in Diario Eruditio *Allgem. Deutsche Bibliothec*, T. 78, p. 311 sqq.